



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 69. Divus Bonaventura Ecclesiæ Doctorum fastis ab eodem Papa
adscriptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI pro Consultationibus negotiorum intra
A. C. 1588. ditionem Ecclesiasticam. Ceterum cun-
 cta hæc fulius explicata in diplomate
 hanc in rem edito perspici possunt.

§. LXIX.

*Divus Bonaventura Ecclesiæ Docto-
 rum fastis ab eodem Papa
 adscriptus.*

Bull. p. 677. Postea Sixtus V. die decima nona Fe-
 bruarii aliam edidit Bullam a qua-
 draginta novem Cardinalibus subscri-
 ptam, in qua cunctas ad arma provo-
 cationes, equitum concursus, aut tu-
 multuosos hominum congressus quavis
 ex causa fieri prohibuit: die autem
 decima quarta Martii alio diplomate
 divum Bonaventuram Ordinis sancti
 Francisci Alumnum sanctis Ecclesiæ
 Doctoribus ritu solemni accensuit, pa-
 riterque in Ecclesia sanctorum duode-
 cim Apostolorum, ubi Fratres Mino-
 res, quos Conventuales vocant, mo-
 rantur, Collegium sancto Bonaventuræ
 nuncupatum, ut ibidem ad hujus Do-
 ctoris mentem Theologia traderetur,
 erexit, simulque præcepit, ut hujus
 sancti festivitas ritu duplici sicut alio-
 rum Ecclesiæ Doctorum officium ce-
 lebraretur: in hoc autem Sixtus Papa
 imitabatur Pium V., qui pares honores
 sancto Thomæ Aquinati decernebat.
 cum

cum antea ambo hi sancti Doctores tanquam Scholarum Magistri nondum colerentur. Ceterum Divi Bonaventuræ Festivitati decima quarta Julii dies præfigebatur, eademque occasione Sixtus V. sermonem insperlit de hujus sancti Canonisatione a Sixto IV. Mense Aprili anni post Christum natum millesimi quadringentesimi octogefimi secundi facta, atque eundem propter suarum virtutum, heroicarum actionum, & doctrinæ eminentiam amplissimis celebravit e-logiis, cunctisque ejus festum diem agentibus plures indulgentias concessit: sequens autem ejusdem Pontificis Constitutio die decima quinta ejusdem mensis edita respicit receptionem Novitiorum apud Clericos regulares sancti Pauli, eodemque tempore Sixtus alio diplomate assignavit stabilem summam ducentorum millium aureorum, ut semper annonæ ubertas in Romana urbe haberi posset: præterea die decima septima Martii per aliud diploma Pontifex illorum, qui ad Cardinalitiam dignitatem evehuntur, beneficia vacare declarabat, omnes autem illos, quibus ea retinendi facultas a sacra Sede conceditur, ad residendum obstringebat.